

eius Aristoteli visum est, Mundum non
 cœpisse, vt testatur Cicero in primo Tu-
 scularum quæstionum libro: Licet A-
 pulcius in hac eum opinione variantem
 dicat. Cæterum tametsi ab initio huius
 operis decreuissem, ne quid aliunde quã
 ex secularibus literis, sumptum interse-
 rerem, siue ignoratiæ aliarum mihi con-
 scius, siue ideò, ne res distantissimas im-
 portuna per mixtione confunderem, ta-
 men cum ad hunc tantum Philosophiæ
 antistitem, tamque Religioni nostræ con-
 sentaneum ventum foret, temperare mi-
 hi non potui, quo minus præfixam stilo
 metam parumper excederem, idque ab i-
 plo recognoscerem, quod non modò no-
 ster, sed sequaces etiam sui memoriæ
 prodiderunt. Igitur aduentu suo in AE-
 gyptum quem suprâ retuli, præter Astro-
 logiam, Prophetarum quoque ritus ad
 doctrinam didicisse Platonem fama est:
 quod & ipse Apuleius vitæ actuumque
 singulorum eius diligentissimus scruta-
 tor asserit, & gloriosus Pater Augusti-
 nus, in libris quos de Christiana doctrina
 edidit, curiosius exequitur. Narrat enim
 fuisse suis temporibus Hæreticos, qui di-
 xerant Saluatorem nostrum, non pro-